





DISSERTATIO  
JURIDICA INAUGURALIS

ad

L. Si duorum 42. ff. de Act. Empt.

quam

ita decernente Magnifico Jcto-  
rum Ordine

*Pro Licentia summos in utroque jure  
honores adipiscendi*

P R Æ S I D E

DN. JOHANNE HENRICO  
FELTZIO

J. U. D. Institutionum & Juris Publici P. P. Ord.

p. t. Fac. Jurid. Decano

*Patrono, Praeceptore & Promotore*

*aeternum colendo*

Solemni Eruditorum censuræ in Alma

Argentoratensium Universitate

*A. D. 24. Septembr. M DCC I. sstis*

*H. Locoꝝ sol.*

JOHANNES JACOBVS SCHEPPELIN,

Brifacensis.

ARGENTORATI,

Literis DANIELIS MAAGII.

42  
42

DISSE  
JURIDICA  
in decem  
Johann  
Dante





B. C. D.

DISSERTATIO JURIDICA

ad

L. XLII. ff. de A. E.

THESIS I.



Uum in interpreta-  
tione legum potissi-  
mus Jctorum labor  
occupatus sit, non improban-  
dum videtur eorum institu-  
tum, qui in argumentum Dis-  
sertationis Academicæ textum  
quendam seligunt, qui diversa à  
DD. ratione exponitur, eum-

A 2

que



que concisa annotatione & paraphrasi ita illustrent, ut disputandi simul materiam subministrant. Nobis hac vice propositum est hanc operam impendere in *L. Si duorum. XLII. ff. de Action. Empt. & Vend.* quæ etsi prima specie satis videatur perspicua esse, hinc inde tamen, quoniam in diversa mens Jcti ab Interpretibus contorquetur, aliquam explanationem requirere videtur. Ut ordine agamus, ipsa primo verba legis præmittimus:

PAU

PAULUS libro secundo  
quæstionum.

**S**I duorum fundorum ven-  
ditor separatim de modo  
cujusque pronunciaverit & ita  
utrumque uno pretio tradide-  
rit & alteri aliquid desit,  
quamvis in altero exuperet,  
forte si dixit unum centum ju-  
gera, alterum ducenta habere,  
non proderit ei, quod in altero  
ducenta decem inveniuntur, si  
in altero decem desint. Et de  
his ita apud Labeonem rela-  
tum est. Sed an exceptio do-  
li mali venditori profutura sit,

A 3      potest

potest dubitari; utique si exiguus modus sylvæ desit, & plus in vineis habeat quam re promissum est, annon facit dolo qui jure perpetuo utitur? Nec enim hic, quod amplius in modo invenitur, quam alioquin dictum est ad compendium venditoris sed ad emptoris pertinet, & tunc tenetur venditor cum minor modus invenitur. Videamus tamen ne nulla querela sit emptoris in eodem fundo, si plus inveniatur in vinea quam in prato, cum universus modus constat. Similis



*milis quaestio esse potest ei, quae  
 in duobus fundis agitata est, &  
 si quis duos statu liberos uno  
 pretio vendat, & dicat unum  
 decem dare jussum qui quin-  
 decim dare debebat. Nam &  
 hic tenebitur ex empto actione,  
 quamvis emptor à duobus vi-  
 ginti accepturus sit. Sed rectius  
 est in omnibus superscriptis ca-  
 sibus lucrum cum damno com-  
 pensari, & si deest emptori,  
 sive pro modo, sive pro quali-  
 tate loci, hoc ei resarciri.*

THESIS

THESIS II.

**L**Egis nostræ *Inscriptio* generalis altera est, altera specialis. Generalis, quam cum pluribus aliis Legibus secum in unam sedem constipatis communem habet, est: DE ACTIONIBUS EMTI VENDITI; cui materiæ ideo proprium domicilium assignatum voluisse videtur sacratissimus IMPERATOR, quia id innumeræ Quæstiones, quæ circa Emtionem, Contractum inter homines frequentissimum occurrunt multitudine sua mereri videbantur. Specialis *inscriptio* his verbis concepta est: PAULUS LIB. II. QUÆSTIONUM.

THESIS III.

Quamvis enim totum Digestorum opus, quale hodie apparet, Justiniano vitam & animam debeat, &, quicquid ibi scriptum est, ejus esse appareat, & ex ejus voluntate compositum; attamen quæcunque

*Constit. Tā-  
ra de Con-  
firm. Di-  
gest. §. 10.*

que Leges in illo occurrunt, non ita sunt Justiniani ut antea nullius fuerint. Siquidem ex Prudentum i. e. Jctorum Veterum Commentariis totum illud opus progerminavit; quod nec ipse Justinianus dissimulat; quippe qui nomina eorum singulis Legibus præscribi voluit; quamvis id negari non possit, non ita pure tradi sententias veterum Juris Auctorum, quin subinde Emblemata Triboniani asluta reperiantur: quod passim dividia esse Jctis recentioribus ipsorummet querelæ testantur.

*vid. Contrij.  
lib. 1. sub-  
sec. jur. de Et.  
9. & Jac.  
Cujac. in  
Not. ad §.  
34. 7. de  
Rev. divis.*

THESIS IV.

Est itaque legis nostræ Auctor JULIUS PAULUS Jctus; qui circa initium seculi Tertii ita clarus fuit juris æquique notitia, ut Jurisperitissimi nomen apud Lampridium meruerit. Erat Imperatori Septimio Severo, ut & ejus filio Caracallæ à consiliis aque iis Præfecti honores & titules obtinuit; docente BERTRANDO.

*de Jurisperit.  
rit. lib. 1. in  
vitâ Pauli.*

B

Inter

Inter plura autem quæ in Materia Juris scripsit, etiam sunt ejus Quæstiones, ex quarum Libro secundo excerpta est Lex nostra.

THESIS V.

*in Biblioth.  
Jur. Civ. c.  
2.*

Quamvis autem alias, uti Jctorum hujus seculi Coryphæus, JAC. GOTHOFREDUS docet, maximum Juris arcanum sit, relatis in unum quasi locum omnibus Capitibus ejusdem Inscriptionis, Auctoris & Libri Textum explicare, siquidem ita singulorum Librorum cognitio, conjectio & argumentum patet; attamen parum inde præfidii ad Legis nostræ illustrationem peti posse videtur; quia hos Quæstionum Libros non tam constans rerum affinium ordo, quam Materiaram Varietas commendasse certum est ei, qui Leges ex eodem Libro sumtas & in LABITTI INDICE sub unum conspectum relatas intuetur.

THESIS VI.

Nunc ad Textum ipsum. Cum autem  
In-

Interpreti nihil prius esse debeat, quam ut  
 verborum sensum eruat, verborum difficili-  
 orum significationem investigare animus  
 est. Interpretem autem maxime poscunt  
 hæ loquendi formulæ: *De modo agri pro-  
 nunciare. Res plures uno pretio tradere. Ju-  
 gera. Jure perpetuo agere. Pronunciare de  
 modo agri* est nihil aliud, quam declarare,  
 quæ sit agri quantitas. Idem formulâ:  
*Modum dicere ab Imperatore, & mensuram,*  
*modum agri renunciare Ulpiano* exprimitur;  
 Græci modum per μέτρον reddunt.

*in Rubr. π.  
 si mensur.  
 fals. mod.  
 dix.  
 in l. 5. π. eod.  
 Syn. Basilic.  
 60. Tit. 9.*

THESIS VII.

*Res plures uno pretio tradere* i. e. res  
 plures uno pretio emtas tradere. Est au-  
 tem Emere plures res uno pretio idem, quod  
 simul utrumque emere, quod Africanus  
 Usurpat, & exemplo duorum servorum,  
 quos dominus quiniserat, illustrat. No-  
 tandum autem, quod Emtio per Aversionem  
 & Emtio plurium rerum uno Pretio non  
 B 2. sint

*l. 47. π. de  
 Evict.*

sint unum idemque, quod tamen fortean primâ fronte videri poterat. Emptio per Averfionem, quæ Gallis en gros, en bloc, Germanis überhaupt / durch den Bogen / im Bausch dicitur, est, quando res plures, sive homogeneæ, sive heterogeneæ simul, cumulative atque acervatim confuse, universim & sine mensurâ venduntur, tradente Jcto celeberrimo SAM. STRYCKIO. Emptio uno Pretio est, quando res plures, sive sine, sive cum Mensurâ aut quantitate pretio non in singulos constituto emuntur; ut adeo res uno pretio emi possint, licet per averfionem non emantur.

*in Not. ad  
Lauterb.  
Comp. Jur.  
p. n. de Con-  
tr. Emr.*

THESIS VIII.

*Jugerum* est terminus Gromaticis solennis, quo certam agri mensuram significabant. Metiebantur enim jugeris agros Romani ait ex Varrone NONIUS MARCELLUS. VARRO dicit: Jugerum dictum junctis duobus actibus quadratis. Actus autem

*lib. 4. de  
Ling. Lat.*

autem quadratus , uti ISIDORVS HIS- in Orig. lib.  
 PALENSIS docet, undique finitur pedibus 15. c. 15.  
 centum viginti, ut adedò jugerum constet  
 longitudine pedum ducentorum quadra-  
 ginta, latitudine centum viginti: qua de re  
 videri possunt *varii Auctores de Limitibus*  
 collecti à NICOLAO RIGALTIO.

THESIS IX.

Per *Jus perpetuum* DIONYSUS GO-  
 THOFREDUS intelligit Actionem ex E-  
 dicto Perpetuo. Sed non admittenda vi-  
 detur hæc Explicatio: Non enim alia com-  
 peteret Emptori Actio quam Empti; Nunc  
 autem Empti Actio non est ex Edicto Per-  
 petuo, esset enim alias Prætoria; quod ta-  
 men repugnat asserto Ulpiani Empti actio- l. 33. n. de  
 nem Civilem esse tradentis. Nobis poti- edilit.  
 us per Jus perpetuum denotari videtur id, Edict.  
 quod Imperatoribus CONSTANTINO l. 8. C. de  
 & LICINIO Jus strictum; PAPINIANO Jud. l. 43. n.  
 stricta ratio; JULIANO subtilis disputan- de Religios.  
 ti l. 51. §. 2. n.  
 B 3 ad Leg. ad  
 di quil.

*Heantoni  
mor. Act.  
IV. Sc. 5. v.  
48.  
Lib. 5. Nic.*

di ratio. TERENCE Summum Jus;  
ARISTOTELI vero ἀρεσθόδικαιον appella-  
tur & Æquitati opponitur. Hæc autem  
ita se habere ex eo clarum est, quia is di-  
citur perpetuo jure uti, qui Labeonis Jcti  
hac in re ἀρεσθόδικαίς subtilem disputandi  
rationem sequitur.

THESIS X.

*in Exercit.  
Sac. ad  
Marc. c. 1.*

Cum autem judice DANIELE HEIN-  
SIO nullum accuratius utiliusque commen-  
tandi genus sit, quam Paraphrasis, si præ-  
sertim Mens & ἀκολουθία cum breviter,  
tum accurate exprimat, verborum, Pau-  
li, Jurisconsulti sensa semper abscondentis,  
Paraphrasin hanc sistimus: Si Primus duo-  
rum fundorum Tusculani & Cajani ven-  
ditor separatim de modo & quantitate cu-  
jusque eorum Pronunciaverit, & ita utrum-  
que uno pretio vendiderit & postea tradide-  
rit, & alteri utpote Tusculano aliquid ex  
dicta quantitate desit, forte si dixit Tu-  
scula-



*scularum centum jugera, alterum, nempe  
 Cajanum ducenta habere, & postea in me-  
 tuendo reperitur, quod in Tusculano sal-  
 tem sint nonaginta, in Cajano vero ducen-  
 ta decem jugera; hoc non proderit ei sc. Pri-  
 mo, uti apud Antistium Labeonem relatum  
 & responsum reperitur, quin Actione ex  
 Emto Primus possit conveniri. Sed an non  
 in hoc casu Exceptio doli mali generalis ven-  
 ditori primo convento ab Emto profutura  
 sit, dubitari potest; imprimis si exiguus mo-  
 dus sybæ in Tusculano extanti desit, & è  
 contrario plus in vineis, quas Cajanus alit,  
 habeat ex Emto. Quid enim an  
 non dolo facit, qui jure stricto adversus ven-  
 ditorem utitur petendo ut stricte in singulis a-  
 gris tot sibi præstet jugera, quot in contra-  
 ctu ipso esse dixit? Nec enim hic, quod  
 amplius in modo & quantitate unius agri  
 invenit, quam in Emto à Venditore di-  
 ctum est, ad compendium & utilitatem Ven-  
 ditoris pertinet. Et tum demum tenebitur Ven-  
 ditor,*

ditor, cum Minor modus in utroque agro invenitur. Unde consequens est, quod si in tali casu plus inveniat Emtor in vineâ, quam in prato, nullam querelam dari Emtori, quia Universus modus seu quantitas in unum computata constat, & eadem est quam Venditor dixit. Similis huic questio & decisio est in eo casu, si quis duos statu liberos uno pretio alteri vendat, & dicat, singulos si manumitti vellent, decem dare à Testatore jussos esse, & postea apparet unum quindecim, alterum saltem quinque Manumissori dare jussum esse. Nam & hic ex stricto jure tenebitur Venditor Emi Actione, quam vis Emtor à duobus simul sumtis viginti accepturus sit. Sed rectius & equitati convenientius est, ut neglecto stricto jure in omnibus supra scriptis casibus lucrum quod Emtor facit in uno, de quo dictum quod minus contineat, cum damno, quod patitur in altero, de quo dictum quod plus contineat, compensetur, & si quid deest Emtori sive pro

pro modo & quantitate, siue pro qualitate  
& bonitate loci & fundi hoc ei resarciatur  
petitum actione ex *Emto.*

THESIS XI.

Unde patet summam Legis hanc esse:  
*Si quis duos fundos vendat uno pretio, &*  
*uriusque certam Mensuram exprimat, sine*  
*dolo tamen, id, quod in uno abundat, cum*  
*eo, quod in altero deficit, compensan-*  
*dum est.*

THESIS XII.

Textus autem ipse non incommode in  
duas partes discerpi potest. In quarum *pri-*  
*ore* Antistii Labeonis, Veterum *J*Ctorum  
Principis, sententia refertur, cum *posterior*  
ejus correctionem à Paulo nostro factam  
contineat.

THESIS XIII.

Scilicet hic Casus Labeoni propone-  
batur: Primus vendidit Secundo agrum  
C Tuscu-

Tusculanum & Cajanum pro certo pretio ; dicitque in ipso contractu agrum Tusculanum ducenta jugera habere, Cajanum vero centum , postea cum secundus metitur modum utriusque, invenit Cajanum non jugera habere ; Tusculanum vero saltem centum nonaginta. Secundus itaque ex Emto Vendito agit adversus Primum, ad id, ut in singulis agris is sibi modus praestetur, qui dictus fuerit. Quærebatur ergo à Labeone an intentio secundi fundata sit! ad quod Labeo respondit assi mando, ibi: *non proderi ei, quod in alio est.*

THESIS XIV.

Videtur autem Labeo decisionis suæ fundamentum posuisse in illa & juris Naturalis & Civilis Regula: Pacta sunt servanda, seu Ea quæ in pactis & contractibus Te præstiturum dixisti, accurate sunt implenda. Cum itaque Primus & secundus pacti inter se sint, & ille dixerit, se huic  
ven-

vendere duos agros in quorum altero centum, altero ducenta jugera sint, definiendum credit Labeo, quod primus leges contractus, prout debuerat, non impleverit.

THESIS XV.

Sed nimis rigida visa est hæc Labeonis decisio Paulo nostro; *in fide enim quid senseris, non quid dixeris, cogitandum;* Cicero lib. 1. de Offic. Itaque ipse decidit in hoc casu Emptorem injuria petere, ut Venditor id quod deest in uno, cum tamen in altero abundet, sibi præstet; habiturum itaque Venditorem Doli Exceptionem.

THESIS XVI.

*Decisio* autem hæc Pauli summâ æquitatis ratione nititur. Cum enim ex Præscripto Juris Naturæ in omnibus Contractibus, imprimis onerosis æqualitas servanda sit, is demum læsum se dicere poterit, qui deterioris est conditionis. At vero quâ ra-

vid. Grot. de J. B. P. II. 12, 8.



tione Emtor talis deterioris est Conditi-  
onis, quam Venditor, dum id quod in uno  
deest, in altero exuperat, adeoque damnum  
in uno factum alterius lucro pensetur.  
Non aliter itaque dici potest, quam con-  
tra æquitatem naturalem & dolo agere eum,  
*qui cum detrimento alterius vult locupletior  
fieri*, uti loquitur POMPONIUS.

*in l. 206. n.  
de R. 7.*

THESIS XVII.

Ex quo Jure hanc exculpimus Re-  
gulam : *Quicumque plures res uno pretio  
Vendit, & singularum modum edixit, non  
tenetur id, quod in modo unius deest, præ-  
stare Emtori, si in alterius modo id abundet.*

THESIS XVIII.

Quæ Regula ita extendi potest, ut, et-  
iamsi Venditor sciens & fallendi intencio-  
ne majorem modum dixerit, in uno, &  
in altero minorem, tamen Emtorem agen-  
tem Emti actione possit repellere, modo  
nihil

nihil intersit Emptoris. Exceptio enim, Tua nihil interest, uti Brocardicon tritum docet, repellit omnem agentem. In contrarium quidem abit BARTOLUS ad h. l. ubi negat, quod si sciens quis, ita venderit, compensatio lucri & damni locum habeat; verum, si quid videmus, fragilitur tribicine hæcce ejus assertio. Scilicet fundat se in sententia POMPONII, qui de negotiorum gestore, qui nova & insolita negotia suscepit, assertit, quod si damnium ex ea re secutum fuerit, ipsum sequatur; lucrum vero absentem, cujus negotia geruntur. Sed quis non videt plane nihil hinc probari? An ergo ita negat POMPONIUS, quod si ex aliis negotiis lucrum, ex aliis quæ eodem tempore geruntur damnium sequatur, lucrum & damnium compensari debeant? An non de eo casu loquitur, si tota gestio damnosa vel lucrosa fuerit? Deinde eadem etiam arguendi ratione sequeretur, quod nec compensatio locum

*l. ii. §. de  
Neg. gest.*

habeat, si Venditor est ignorans; nam in lege POMPONII non tantum de doloso sed & culposo negotiorum Gestore sermo est. Imo si Legem illam recte inspexeris, inuenies sub finem ejus ea haberi, quæ sententiam nostram potius stabiliunt; dicit enim Jctus: *Quod si in quibusdam lucrum factum fuerit in quibusdam damnum, absens, cujus negotia geruntur, lucrum cum damno compensare debet.*

THESIS XIX.

Eò quoque extendenda regula videtur ut etiam si in unâ re, quam singulatim vendidit, falsum Venditor modum dixerit, e. gr. si dicat, vendo Tibi Cajanum habentem centum jugera sylvæ; postea vero appareat agrum illum habere saltem octoginta sylvæ jugera, adeoque deficere viginti jugera, quorum tamen loco adsint decem jugera in vineis, quæ præstantia aut æquant aut superant viginti illa sylvæ jugera; tamen



men lucri quod praestantia vinearum affert, cum damno, quod ob deficientia viginti sylvae jugera contrahitur, compensatio fieri debeat; nisi specialiter intersit Emptoris viginti potius sylvae jugera habere, quam decem in vineis.

THESIS XX.

Unde etiam simul patet Exceptionem pati regulam nostram, si Emptoris intersit potius in hoc agro habere plura jugera quam in illo. quo etiam Jctus digitum intendit in Lege nostra: *ibi: Nec enim hic quod amplius in modo invenitur &c.*

THESIS XXI.

Ceterum haec etiam praeterea ex lege nostra fluunt.

1. *Duae vel plures res uno pretio vendi possunt.*
2. *Strictum jus saepe actionem concedit, quam aequitas per Exceptionem oppositam elidit.*
3. *Si*



3. *Si Venditor Emptori, quod in Contractu Emptionis ipsi promisit non prestat, Actio ex Empto datur Emptori.*

Plura addi possent ad Legis nostræ illustrationem facientia, sed abitus instans convalescere me jubet; itaque Spartam hancce doctioribus delego.

DEO SIT LAUS HONOR  
ET GLORIA.



ULB Halle  
003 594 807

3



*Sb*







DISSERTATIO  
JURIDICA INAUGURALIS

97  
26  
42  
6

ad  
*L. Si duorum 42. ff. de Act. Empt.*

quam  
1701, 5.

ita decernente Magnifico Jcto-  
rum Ordine

*Pro Licentia summos in utroque jure  
honores adipiscendi*

P R Æ S I D E  
DN. JOHANNES HENRICO  
FELTZIO

J. U. D. Institutionum & Juris Publici P. P. Ord.

p. t. Fac. Jurid. Decano

*Patrono, Præceptore & Promotore  
æternum colendo*

Solenni Eruditorum censuræ in Alma  
Argentoratensium Universitate

*A. D. 24. Septembr. M DCC I. sistis  
H. Locoꝝ sol.*

JOHANNES JACOBVS SCHEPPELIN,  
Brisfacensis.

ARGENTORATI,  
Literis DANIELIS MAAGII.